



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

Admonitio Authoris Ad Lectorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)



ADMONITIO  
AUTHORIS  
AD LECTOREM.

**M**

ULTUM, *Amice Lector*, multum ego sudavi, & alsi, ut opus perfectum, ingenio politum, & industria elaboratum omnibus Studiosis in lucem proferrem. Feci, quod potui, & quantum tenuitas mei ingenij comprehendit, animo & mente assequutus sum; sed pro variis accidentibus, objectionibus, & circumstantiis necessarium mihi fuit hoc totum opus, & tam indefessum, & perutilem laborem disrumpere, & in rogum mittere. Sed ad instantiam quamplurimorum Doctorum virorum in tui gratiam, *Benigne Lector*, emensus sexaginta & septem annos iterum de novo hanc molestiam, & imensum laborem incepti, jacentem erexi, demersum sustuli; & de oppressa libertate hoc opus emerfit, revixit, & post tot jactatum casibus, tot afflictum cladibus, totidemque oppressum malis jam se ex diurno labore refecit, quamvis non tam perfectum, quantum primum diruptum, & combustum opus. Sed quia alij anni laboris necessarii erant ad perficiendum hoc opus, ut primum, malui tibi opus in aliquo minus perfectum dedicare, quam studium tibi meum, & laborem penitus denegare, atque oleum & operam perdere.

Ego enim in hoc Opere, & Coordinatione Operum R. P. Antonini Diana, quamvis non exiguo labore, tamen facili, ac concinnatissima Methodo, ordine, & dispositione ad suas proprias materias, & principales Tractatus condaco, reduco, atque redigo quidquid per tot, tantisque ac varios Miscellaneorum, & Additionum anfractus, & Tractatus, laboriosissimus, & diffusus Auctor defluebat.

Præterea, margines, ut vides, *Humillime Lector*, hujus totius laboris, & dispositionis ad clariorem notitiam doctrinæ eruditissimi Authoristam plenæ sunt annotationibus, ut omnes propter illas solas fateantur faciendam esse novam impressionem. Quod omnes Studiosi ex Operibus R. P. Dianæ præstolantur, hoc tantum est, ut omnes ejus Resolutiones ad proprias materias, & speciales Tractatus redigantur. Sed crede mihi, *Charissime Lector*, quod, quamvis in hoc omnium Studiosorum votis occurrerim, & diu spectata desideria compleverim; verumtamen adhuc Opera R. P. Dianæ minimè comprehendi, nec intelligi possent sine indigentibus prædictis annotationibus. Et quamvis ferè omnes annotatæ Resolutiones sint similes, si aliquam non simillimam invenies, tamen ex utriusque doctrina, & lectione facilius, & melius utramque difficultatem dissolvere, vel distinguere poteris.

Insuper, inter titulos hujus mei laboris, & Authoris magna differentia est de

titulo ad titulum, de luce ad lucem, de claritate ad claritatem: quia ipsemet R. P. Diana in qualibet Resolutione sui ordinis unam tantum difficultatem & quæstionem pro titulo proposuit; ita ut in suis 2. part. 6595. Resolutiones habeat, & per consequens totidem 6595. difficultates pro titulo apposuerit: Sed in prædictis 6595. Resolutionibus ex earum ipsismet textibus plusquam viginti & octo millia quæstionum in titulis earum clara luce, clariore dispositione deduco, adscribo, assigno, & demonstro. Ubi exiguo, ac tenui labore cuiquam reperire licebit; ne dum præcipuas difficultates, quibus sapientissimus Author titulum indidit. Sed etiam cæteras alias quàm plurimas quæstiones etiam minutissimas sine nomine, & titulo errantes, divagantes, & absconditas in corpore, & textu cujuslibet Resolutionis, præ præcipuis, & primoribus, quas ipse Auctor passim obiter tangit, dummodo habeant Authorem, & rationem. Unde posthac hujus notitiam splendore potiri licebit, quæ tenebris offusa manebant, & quæ hujus mirabilis Authoris volumina obsignata & occlusa tenebant. Hoc enim opus manuducet omnibus studiosis, qui breviori via, facili, & fructuosa immensos, & obstruos sapientiæ Dianæ Thesauros invenire, & prævenire queat. Ideo posthac Diana à Sole suum mutuavit splendorem; Ita ut hoc opus videatur depingere Liranensis de prophana rerum novitate cap. 17. ita dicens: *Intelligitur te ordinante, quod antea obscurius credebatur, et ante vetustas venerabatur. Eadem tamen, quæ didicisti ita doces, ut cum dicas nove, non dicas nova.* Nova & vetera Opera eruditissimi Dianæ, universo orbi celeberrimi, & usque in finem sæculi ab omnibus semper honorandi, & venerandi benignè accipe, Humanissime Lector. Floreat digne. Floreat inter Scriptores & Doctores nostræ Sanctæ Matris, & Catholicæ Ecclesiæ talis, & tantus Author, qui in tui gratiam, & levamen in unum opus tantam doctrinam, tantosque congestit Authores & rationes.

Author Compendij ad opera celeberrimi Patris Dianæ, & omnes alij ejus additionatores, bona eorum venia, minimè illius opera comprehenderunt, sed quasi ea tondentes elegerunt principales quæstiones cujuslibet Resolutionis, & aliquos obiter notandos paragraphos; relinquentes intactas alias quamplurimas quæstiones inclusas, & occlusas in textu & corpore cujuslibet Resolutionis. Ideo alia tertia pars difficultatum supradicto compendio, vel summæ deest, quæ cum D. D. & rationibus fulcitæ sunt in toto opere R. P. Dianæ, quæ omnes hic assignare & demonstrare possum, & in citationibus dicti compendij pro eadem quæstione aliæ innumerabiles citationes desunt, ut patebit in meis marginalibus annotationibus ad omnes difficultates textus. Ideo omnes quæstiones compendij facillè invenire poteris in operibus R. P. Dianæ, quamvis diminutas in citationibus, sed minimè econtra, nisi cum magno labore in compendio eas reperire valebis. Imò ut dixi, aliam tertiam partem difficultatum minime invenire poteris. Utrumque facillimè probare valebis, si attentè perlegis titulos ad textus, & notationes marginales hujus totius mei perutilis laboris. Eadem est ratio de cæteris novissimis compendiis, vel Summis ad supra dicta Opera R. P. Dianæ. Propterea (*Humanissime Lector,*) Deum pro illo & pro me roga.